



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

43
288



LS 4 3.2.88



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

Comp. 1007 1 - 11/1/1911 - 10/1/1912

DE
FONTIBUS ATQUE AUCTORITATE
VITARUM XII IMPERATORUM
SUETONII
COMMENTATIO

QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT
Franc. Ludw. Anton
FRANC. ANTON. LUDOV. SCHWEIGER
BRUNOVICENSIS.

GOTTINGAE,
TYPIS CAROL. EDUARD. ROSENBUSCH.
MDCCCXXX.

L. 3 4-3.288

304 11 1013
regulation, 1013



Si antiquarum gentium fata virorumque, qui in ea magnum momentum habebant, vitas inquiramus, jure dolemus, quod tam multa historicae artis monumenta nobis non servata sunt, ex quibus accuratam historiae antiquae cognitionem possumus haurire. Felices jam ob id nos praedicare debemus, quod nonnulla tamen adhuc nobis supersunt, quibus rerum tunc statum ex parte saltem cognoscere licet. Et paucos tantum ex tanta scriptorum copia, qui de temporibus imperatorum romanorum exposuerunt, nobis superesse inter omnes satis constat. Quibus annumerandus est Suetonius, qui, quamquam breviter vitas imperatorum romanorum inde a Caesare ad Domitianum usque narravit, tamen, quum multa sint, quae ille unus nobis tradiderit, tanquam primarius fons magna ex parte non immerito existimatur. Potissimum autem ob id est aestimandus, quod non modo illorum principum res gestas, quas interdum quoque ex aliis scriptoribus petere possumus, sed quoque interiorem familiaremque eorum vitam memoriae prodidit. Quantum ponderis autem quaestionem habere, num Suetonius in suis narrationibus veritatem tradiderit, quis est, qui non intelligat? Necessesse itaque est, ut instituamus disquisitionem, quales fontes sibi elegerit et quomodo iis sit usus. Nam hinc pendere fidem narrationum Suetonii nemo non videt. Quare non vanam operam me suscepturum arbitror, si fontes Suetonii aggrediar inquirere. Quam disquisitionem, quantum equidem scio, nemo instituit praeter *Söltl* V. D., cuius commentatio tantum ex epitome *Diarii Göttingensibus* inserta ¹⁾ mihi innotuit.

1) *Götting. gelehrte Anzeig.* v. 1825, p. 1345 — 47.

Antequam autem ad disquisitionem ipsam progrediar, haud abs re erit, Suetonii vitam breviter exponere, quo melius appareat, eum optimos quosque fontes adire potuisse. Tunc de consilio dicam, quod in opere suo consequutus sit.

C. Suetonius Tranquillus, qui praeter vitas imperatorum multa alia scripta condidisse fertur, quae recenset Suidas ²⁾, circa principium imperii Vespasiani aut non multo post natus esse videtur. Nam ipse tradit, viginti annis a morte Neronis se fuisse adolescentem ³⁾, itemque se adolescentulum interfuisse, quum de fisco Judaico ageretur ⁴⁾. Patrem habuit Suetonium Lenem, sub Othone tertiae decimae legionis Tribunum angusticlavium ⁵⁾. Ipse quoque erat tribunus militum, quem honorem autem mox in Caesennium Silvanum, propinquum suum, transtulit ⁶⁾. Amicum fuisse Plinio, testantur ejusdem Epistolae ⁷⁾, cujus rogatu, quum esset parum felix matrimonium expertus, jus trium liberorum a Trajano est adeptus ⁸⁾. Imperante Hadriano fuit magister epistolarum, quo honore autem privatus est, quod apud Sabinam, principis uxorem, injussu ejus, familiariter se egisset quam reverentia domus aulicae postularet ⁹⁾.

Quando autem has vitas composuerit, in incerto est. Si quid conjecturae dandum est, fortasse eas conscripsit, quum, honore illo privatus lenimen curarum inquireret et negotium in otio invito. Maximis auxiliis ad hoc opus suscipiendum instructum fuisse ex tanta optimorum scriptorum copia, quos ipse laudat, satis apparet. Sed alia quoque ante oculos habuisse dubitari nequit, si modo memineras, quae antea de provincia diximus, quam ei Hadrianus concesserat. Non modo acta publica, leges, aliaque monumenta, quae spectabant ad statum illius temporis accuratius cognoscendum, poterat adhibere, sed quoque, quum in aula principis et quasi

2) Suidas s. v. Τραγουλλος. — 3) Suet. in vita Neron. cap. ult. — 4) Id. in vita Domit. c. 4. — 5) Id. in v. Othon. c. 10. — 6) Plin. Epist. III. 8. — 7) Ejusd. Epist. I. 18 et 24. III. 8. V. 11. IX. 34. X. 95. — 8) Ej. Epist. X. 95. et responsio Trajani. — 9) Ael. Spartian. in Hadriani vita c. 11. —

ad fontem versaretur, multa auditu accipere, quae vulgo aut leviter aut omnino non cognita erant.

Quod autem adinet ad finem consiliumque, quod habebat Suetonius in conscribendis hisce vitis, de hac re nihil ipse dixit. Si autem inspexeris accuratius vitas, facile cognosces, non modo res gestas imperatorum, sed eorum quoque indolem moresque tradidisse, ut lectoribus imaginem ad vivum expressam ante oculos poneret. Seriem autem chronologicam in illis non adhibuit. Consilium suum ipse aperuit. *Proposita vitae ejus (Augusti) velut summa, ait¹⁰⁾, partes singillatim, neque per tempora, sed per species exsequar, quo distinctius demonstrari cognoscique possint.* Quod consilium Noster in aliorum imperatorum vitis quoque consequutus est.

Disquisitio, quam instituam, sane habet magnas difficultates. Auxilium quidem non leve auctor nobis eo attulit, quod saepius indicavit nomina eorum, quos sibi fontes elegit. Sed quum plerosque tantum ex testimoniis veterum cognitos habeamus, scriptis eorum nondum exstantibus, tantum ex ratione, qua Suetonius eos adhibuerit, de iis iudicium et ne id quidem certo possumus ferre. Non autem satis est, nomina illorum, quos duces habebat, indicare, sed inquiramus necesse est, a quibus partibus illi starent, num essent amici, an adversarii, an nullius partibus addicti et sine ira et studio narrantes. Porro investigemus necesse est, quibus Noster plurimum tribueret an qui essent apud eum levis fidei. Singula quaeque autem fontibus non possunt reddi, quum, ut antea diximus, plerosque tantum ex testimoniis Nostri aliorumque cognoscamus. Pauca adhuc supersunt, quibuscum Suetonii tradita conferre licet. Vellejus Paterculus et Tacitus alique pauci nobis restant, quorum comparatione magnum fructum ad disquisitionem de fide Suetonii redundare posse facile patet. Quam ob rem singulis vitis comparationem inter eos subjiciam, id modo referens, in quibus narrationibus inter se dissentiant. Nam longum est, omnia quae communia habent, exponere.

10) Suet. in vita Aug. c. 9.

Haec sufficiat de ratione et via, quam in fontibus Suetonii indagandis sum ingressus. Nunc ad disquisitionem ipsam nobis propositam progrediamur.

C A E S A R.

Seriem imperatorum, quorum vitae a Suetonio conscriptae nobis adhuc supersunt, incipit Jul. Caesar. Quamquam multa in ejus vita sint, quae ex Caesaris ipsius aliorumque scriptis peti possint, tamen multa quoque a Suetonio effusius accuratiusque narrata sunt, ita ut ad supplendum et affirmandum aliorum scriptorum tradita inserviat.

Nos autem magnam partem fontium suorum ignorare noluit, ad plures enim nominatim provocat, inter quos *Caesaris ipsius* scriptis multum tribuisse videtur ¹¹⁾. Quamquam Asinii Pollionis iudicium de Caesaris commentariis non sileat, tamen ex ratione modoque, quo Ciceronem Hirtiumque de his commentariis judicantes inducit, ea multum ponderis habuisse apud Nostrum satis apparet. Nam illorum iudicium non modo ad orationis praestantiam, sed quoque ad fidem historicam spectare videtur, quod tamen negat Thorbecke V. D. in commentatione de Asinio Pollione p. 119. — Inter alios libros a *Caesare* conscriptos commemorat quoque *orationes* ¹²⁾, itemque ejus *epistolas ad Senatum, ad Ciceronem, ad Familiares* ¹³⁾, quas tunc temporis extitisse narrat. Quas, quum domesticis de rebus agerent et occulta, ut ipse addidit, continerent, magni pretii apud eum fuisse nemo non videt.

Ex scriptoribus, qui aut familiaritate cum Caesare erant conjuncti, aut ab ejusdem partibus stabant, *Oppium, Hirtium, Corn. Balbum, Asinium Pollionem* nominat.

C. Oppius, Caesaris amicus, praeter multos alios libros, quos condidisse fertur ¹⁴⁾, librum quoque conscripsit de vita Pompeji, quam Plutarchus in vita Pompeji adhibuit, monens tamen, dubiae esse fidei, quum

11) In vita Caes., c. 56. — 12) Ibid. c. 55. — 13) Ibid. c. 26 et 56. —

14) cf. Voss. de histor. lat. L. c. 13.

in gratiam Caesaris composuerit ¹⁵⁾. Aliorum virorum vitas conscripsisse colligimus ex testimoniis scriptorum, qui ad eas referunt ¹⁶⁾. Fortasse quoque condidit vitam Caesaris, quamquam nihil certi de hac re habemus. Nam neque Suetonius titulum libri adjecit, neque Plutarchus, qui semel Oppium in vita Caesaris c. 17. citat. Idem Oppius edidit librum: *non esse Caesaris filium, quem Cleopatra dicat* ¹⁷⁾. Num hoc libro usus sit, in quo Oppius de Caesaris conjunctione cum Cleopatra quamquam multa in gratiam Caesaris exposuisse videtur, incertum est. Ejusdem Oppii aut Hirtii (nam de auctore ambigitur) librum de bello Alexandrino, Africano et Hispanico, consultare non neglexit.

Neque praetermisisse videtur *Hirtium*, aequae Caesaris amicum, quamquam nunquam testem narrationis eum adhibuit. Ille Caesaris vitam usque ad exitum composuit, ut ipse tradit ¹⁸⁾. Praeterea belli Gallici librum ultimum supplevit, et, ut verisimile est, bellum Alexandrinum condidit.

Ad veritatem prodigii cuiusdam probandam, quod ab Suetonio fuisse narratur, adhibet auctoritatem *Cornelii Balbi* ¹⁹⁾, quem Caesaris familiarissimum dicit. Ad hunc Balbum et ad Oppium exstabant C. Caesaris epistolarum libri, ut testatur Gellius ²⁰⁾. Ex nostro loco concludit Vossius ²¹⁾, Balbum gesta Caesaris signasse, quod equidem, quum nos de hac re aliis indiciis careamus, in medio relinquam.

C. Asinius Pollio non modo erat strenuus miles, sed quoque scriptor celeberrimus, de cuius viri vita et scriptis accuratam commentationem scripsit Thorbecke ²²⁾. Apud Augustum magna in gratia fuisse, testantur veteres scriptores ²³⁾. Scripsisse belli civilis inter Caesarem et Pompejum historiam satis constat, quam Nostrum inspexisse persuasum mihi habeo ex iis, quae in vita Caes. c. 30. narrat nomine Pollionis addito. Hanc operam ita dilatasse Pollionem, credit Thorbecke p. 119, ut in omnem sui temporis

15) Plutarch. Opp. T. IV. p. 724. Reiske. — 16) Voss. l. c. — 17) Sueton. in vita Caes. c. 52. — 18) de bello Gallico. VIII. 1. — 19) Suet. in vita Caes. c. 81. — 20) Gell. XVII. 9. — 21) Voss. de hist. lat. I. c. 13. — 22) J. R. Thorbeckii commentatio de C. Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae. Lugd. Bat. 1820. 8vo. — 23) Testimonia v. apud eundem. —

historiam, ad imperium usque Augusti excurreret. Praeterea his eum laudat Suetonius ²⁴). Ex quibus autem libris haec desumpta sint, non possumus certo eruere. Scripsit Asinius Pollio epistolas ad viros insignes, ut ad Ciceronem et ad Plancium, ex quibus quaedam servavit Gellius ²⁵). Quas utrum inspexerit Suetonius, an alium ejusdem librum, incertum. Multum autem ei tribuisse videtur Suetonius, ita tamen, ut certe meminerit, a partibus Caesaris illum stetisse.

Neque tamen adversarios quoque Caesaris audire supersedit. Et ratio modusque, quo testes eos adhibuerit, satis ostendit, non minus ponderis apud eum habuisse.

Epistolis *Ciceronis* plurimum tribuisse videtur. Saepius enim ad eas provocat ²⁶). Et multum apud eum poterant valere, quum in iis multa tradita essent, quae ad mores atque ingenia hominum illis temporibus insignium depingenda pertinebant. Ex ejusdem libris de officiis profert versus quosdam ²⁷).

Commemorat quoque *M. Bibulum* ²⁸), qui cum Caesare consulatum gessit, sed a collega armis Foro expulsus sese domum abdidit et decreta Caesaris per edicta studuit impedire. Quam acerbe autem his edictis in Caesarem invectus sit, testatus est Cicero, qui illa Archilochia dicta fuisse tradit ²⁹).

Provocat crebro ad *Curiones*, patrem et filium ³⁰). Quum ambo infestissimi inimici Caesaris essent et maxima acerbitate in eum orationibus inveherentur, multaque, quae ad accuratiorem illius temporis cognitionem inservirent, in iis attigerint, per se jam patet, Suetonium non parvum fructum exinde cepisse.

Cn. Dolabellae actiones commemorat ³¹). Ille aliquando a Caesare accusatus, patrocinio Cottae et Hortensii, oratorum illius temporis celeberrimorum, est absolutus. Qua re Caesari infestus, orationibus eum carpsit.

24) Suet. in vita Caes. c. 55. 56. — 25) Gell. I. 22. 19. X. 26. 1. — 26) Suet. in vita Caes. c. 9. 42. 49. — 27) Ibid. c. 30. — 28) S. in vita Caes. c. 9 et 49. — 29) Cic. in Epist. ad Atticum II. 19. — 30) Suet. in vita Caes. c. 9. 49. 50. 52. — 31) Ibid. c. 49.

M. Brutum, sine dubio percussorem Caesaris, adducit Suetonius ³²⁾ testem, titulo libri non addito, ab Octavio quodam Caesarem esse reginam salutatum propter impudicitiam. Orationem, Caesare interfecto, in concione Capitolina habitam misit Ciceroni corrigendam ³³⁾. Argumentum fuisse de interfecto tyranno et de patria liberata, discimus ex Appiano ³⁴⁾. Scripsit quoque epistolas, ex quibus se hausisse in vita Bruti conscribenda Plutarchus tradit ³⁵⁾. Utrum ex his epistolis hauserit Noster, an ex alio ejusdem scripto, decernere non possumus.

Citat *C. Memmium*, alias ignotum, cujus asperrimis orationibus Caesarem rescripsisse narrat ³⁶⁾. Narrationem ex his petitam esse probabile est.

Nominat quoque *Tanusium Geminum* ³⁷⁾ eundem, quem quoque Plutarchus in vita Caes. c. 22. citat, ubi ex eodem Catonem censuisse refert, Caesarem barbaris esse tradendum. Ex uno eodemque fonte Noster hausisse videtur. Annales vel historiam, de qua nil amplius constat, ille scripsit. Sed veteres ei non magnam fidem adhibuisse patet ex verbis Senecae ³⁸⁾.

Caesarem conspirasse cum Cn. Pisone, itemque eum Bogudo ejusdemque uxori immensa tribuisse, *M. Actorium Nasonem* auctorem exhibet ³⁹⁾. Vossius ⁴⁰⁾ suspicatur eum temporibus J. Caesaris vixisse aut summum Augusti ac Tiberii. Quum autem Suetonius solus eum nominet, praeterea nihil de eo ejusdemque scriptis addens, quando floruerit et quale opus scripserit in medio est relinquendum.

Citatur quoque *T. Ampius* ⁴¹⁾ de cujus opere certum quid non ha-

32) Suet. in vita Caes. c. 49. — 33) Cic. Epist. ad Attic. XV. 1. — 34) Appian. Bell. Civ. II. c. 122. — 35) Plut. Brut. c. 2. 22. 28. 29. — 36) Suet. in vita Caes. c. 73. — 37) Ibid. c. 9. MSS. de scriptura nominis variant. Apud *Plutarch.* I. I. Γαύσιος et Κανόσιος, apud *Senecam* Tamusius. — H. L. Tanusius, Canusius, Tamisius, etiam Tanutius. Tanusius praefereendus; et ita *Schweighauser* ex vetustissimo probatissimoque Cod in contextum *Senecae* recepit. — 38) Senec. Epist. 93 fin. — 39) Suet. in vita Caes. c. 9 et 52. — 40) Voss. de hist. lat. III. s. v. *Actorius*. — 41) Suet. in vit. Caes. c. 77. —

bemus. Fuit fortasse idem, ad quem epistola Ciceronis adhuc exstat ⁴²⁾, ex qua apparet, T. Ampium consumsisse studium in virorum fortium factis memoriae prodendis.

Mentionem fecit Q. Tuberonis ⁴³⁾. Pater ejus fuit L. Aelius Tubero, qui historiam conscripsisse dicitur. Q. Tuberonem utriusque juris, publici ac privati, doctissimum praedicat Pomponius ⁴⁴⁾. Sed quoque historiam condidisse videtur, Historicus enim diserte dicitur a Livio et Plinio ⁴⁵⁾. Historias a primordiis Urbis usque ad sua tempora deduxisse videtur ⁴⁶⁾. Gellius ⁴⁷⁾ citat librum quendam ad C. Oppium ab eo scriptum. Semel tantum eum nominat Suetonius, titulo libri omisso. Quae autem ex illo tradidit, non ita comparata sunt, ut ex historico quodam opere desumpta esse debeant. Illum enim tradere, ait, Cn. Pompejum heredem a Caesare scribi solitum. Cujus rei mentionem alibi quoque facere poterat. Pomponius addidit, illum complures de utroque jure libros reliquisse.

Acta Senatus et diurna populi, quae J. Caesar instituit, inspexisse videtur.

Hi fere sunt scriptores, quos Suetonius ipse nominat. Sed *alios multos* se consultasse, crebro ait ⁴⁸⁾. Nomina eorum autem investigare esset operam perdere.

Veritas autem narrationis Suetonii potissimum eo confirmatur, quod cum aliis scriptoribus, qui de rebus Caesaris exposuerunt, crebro consentit. *Vellejum* autem, qui in historia sua romana plura de Caesare narravit, non adhibuisse videtur Suetonius. Multa quidem habet, quae quoque Noster tradidit. Nonne autem eosdem, quos Vellejus, fontes adire poterat? Nomina scriptorum, quos Suetonius citat, satis ostendunt, etiam tum opera exstitisse, ex quibus multa tradita Velleji profluxisse videntur. Et compa-

42) Cic. Epist. ad Divers. VI. 12. — 43) Suet. in vita Caes. c. 83. — 44) in D. D. de or. Jur. II. §. 46. — 45) Liv. IV. 23. — Plin. H. N. in indice scriptor. II et XXXVI. — 46) Testimonia v. apud Lachmannum de Livii fontibus, Comment. I. p. 40. — 47) Gell. VIII. 9. — 48) Suet. in vita Caes. c. 30. 46. 54.

ratio inter utrumque probabile reddit, Suetonium non consultasse Vellejum. — Longum vero est, omnia ea, in quibus Suetonius cum illo consentit, referre, id modo mihi proposui, ut quae diverse tradiderunt, compararem.

Jam initio diversitas inter Nostrum et Vellejum exoritur. Vellej. II. 43. tradit, Caesarem in Cottae consularis locum paenè puerum a Mario Cinnaeque Flaminem Dialem creatum esse. — Suet. c. 1. init. Caesarem annum sextum decimum egisse, quum patrem amisisset, sequentibus Coss. Flaminem Dialem esse destinatum. — Scriptores inter se conciliavit et rem optime explicuit Wesseling. in obs. II. 18. In eo autem errare videtur Vellejus, quod Caesarem in Cottae locum Fl. D. creatum esse dicit, quum scriptores tradant, in Merulae locum esse Caesarem destinatum, nec tamen inauguratum. — Quam narrationis diversitatem silentio non praetermisisset Suetonius, si Vellejum consultasset.

Discrepat Vell. II. 43. a Suetonio in eo, quod Caesarem post reditum ex insula Rhodo Dolabellam accusasse dicit. Cui assentit Plut. Caes. c. 4., Noster (c. 4.) contrarium refert.

Haec fere sunt, in quibus Vellejus a Nostro dissentit. Alia autem, quae uterque tradidit, ita sunt narrata, ut Suetonium ex aliis hausisse facile credas. Noster enim saepe res fusius accuratiusque narrat, quamquam de summa cum Vellejo consentit. Huc accedit quod Vellejum ne nominat quidem. Quibus omnibus inclinor, ut Suetonium in vita Caesaris Vellejum non consultasse credam.

Inter vitas parallelas Plutarchi, quae adhuc supersunt, est quoque vita Caesaris. Multa quidem, quae Suetonius tradidit, a Plutarcho eodem modo sunt narrata, ut sane eosdem, quos Suetonius, fontes adhibuerit. Nonnulla autem aliter et plane diverse relata sunt a Plutarcho, ut dubitare nequeas, alios quoque fontes ante oculos habuisse. Quo melius haec intelligas, instituamus comparationem inter utrumque.

Plut. in vita Caes. c. 4. init. Dolabellae accusationem a Caesare post reditum ex insula Rhodo institutam narrat. — Secundum Sueton. c. 4. accusatio Dolabellae erat causa, cur Rhodum secedere statuit.

Plut. *ibid.* c. 1. unum amicum et duos servos nominat, qui apud Caesarem captum manebant. Suet. c. 4. unum medicum et duos cubicularios fuisse tradit.

Plut. *ibid.* praedones Caesarem, profectum a Nicomede, cepisse tradit; Suetonius l. c., antequam Rhodum appulerit.

Uterque tradit, Caesarem, animadversa Alexandri imagine, ingemuisse. In tempore tantum dissentiunt. cf. Plut. *Caes.* c. 11. et Suet. *Caes.* c. 7.

Somnium Caesaris uterque eodem modo refert, in tempore tantum diversi. cf. Plut. *Caes.* 32 et Suet. *Caes.* 7.

Post detectam Catilinae conjurationem et deliberationem de conjuratis Catilinae narrat Suetonius c. 14, *Caes.* curia abstinuisse in reliquum anni tempus. Plutarchus c. 8. autem, post paucos dies in Senatum venisse.

Expeditionis Caesaris in Britannos uterque diversam rationem reddit. cf. Plut. *Caes.* 23 et Suet. *Caes.* 47.

De aquilifero paullo aliter refert Plut. *Caes.* 39. quam Suet. *Caes.* 62.

Narrationem de facilitate Caesaris in Oppium (Suet. c. 72.) aliter refert Plut. *Caes.* 17.

Post pugnam Pharsalicam tres esse interfectos a Caesare, tradit Suet. c. 75. Plut. *Caes.* c. 53 plures interemptos dicit.

AUGUSTUS.

Vita Augusti inter eas, quas Suetonius conscripsit, primarium locum obtinet. Nam praeter Vellejum Paterculum, Suetonium et Dionem Cassium fere nullum habemus, ex quo historiam illius temporis possumus haurire. Ea magno pretio haec vita nobis esse debet, quum multa in ea de indole Augusti ejusdemque vita familiari occurrant, quae unus fere tradiderit.

Principem fontem habuisse *Augustum ipsum*, facile concedimus; saepius enim ad ejus auctoritatem provocat. Libris tredecim, ut Suetonius refert ⁴⁹⁾, de vita sua, Cantabrico tenui bello, (quod A. U. 729 suscepit) nec ultra, Augustus exposuit. Sed a quo inde tempore initium operis

49) Suet. *Aug.* c. 85.

fecerit, incertum est. Verisimile tamen videtur, eum omnem vitam inde a natalitiis usque ad initium belli Cantabrici in iis exposuisse, praesertim si contuleris, quae Suetonius in vita Augusti c. 2. tradidit. Augustum equestri familia se ortum scripsisse, ait, in qua pater suus primus Senator fuerit. — Ex iisdem commentariis petita esse videntur, quae de insidiis Augusto a Q. Gallo factis Noster refert ⁵⁰⁾, quamquam titulum libri non addidit. Nam rem eandem ex Augusti commentariis petitam narrat Appianus ⁵¹⁾. — *Epistolas Augusti* minime neglexit. Crebro eas expresse nominat ⁵²⁾, interdum verba ex iis referens, quarum multas a manu Augusti ipsius scriptas inspexisse se Suetonius narrat ⁵³⁾. — Alia quoque ex Augusto hausit, quae autem quo referenda sint valde ambigimus, ut quae Augustus de divortio cum Scribonia scripsit ⁵⁴⁾, porro quae de vitatis reconditorum verborum foetoribus ⁵⁵⁾, quae de Antonii malo atque inconstanti dicendi ingenio ⁵⁶⁾ ex Augusto refert. Expresse ad Augustum provocans, tradit populum de inopia et caritate vini quaerentem illum coercuisse ⁵⁷⁾. Mentionem simul fecit Augustus ductarum aquarum, quas extruxerat Agrippa. Quod quidem factum esse a. u. 721 ex Dione ⁵⁸⁾ discimus. Quum autem Augustus commentarios suos usque ad annum u. c. 729, quo bellum Cantabricum est incoeptum, deduxerit, fieri bene poterat, ut ex his narrationem Noster petiverit.

Monumentum Ancyranum non neglexisse Suetonium ex eo apparere mihi videtur, quod de ludis ab Augusto factis pro se et aliis magistratibus iisdem, quibus id Monumentum, verbis refert, simul ad Augustum provocans. Quo accuratius haec intelligas, utriusque verba addam. Suetonius ⁵⁹⁾: *Fecisse ludos se, ait (Augustus), suo nomine quater: pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter et vicies.* — Monumentum Ancyr.: *Ludos feci meo nomine quater, aliorum autem magistratuum absentium ter et vicies.* Ex eodem monumento petita

50) Ibid. c. 27. — 51) Appian. Bell. Civ. III. 95. — 52) Suet. Aug. c. 40. 42. 51. 64. 71. 76. 86. 87. 92. — 53) Ibid. c. 71. 87. — 54) Ibid. c. 62. — 55) Ibid. c. 86. — 56) Ibid. l. c. — 57) Ibid. c. 42. — 58) Dio Cass. II. 43. — 59) Suet. Aug. c. 43.

videntur, quae narrat de signis a Parthis Romanis restitutis ⁶⁰⁾, quae de censu populi Romani ⁶¹⁾, de frumento populo dato ⁶²⁾ et quae de muneribus tradidit ⁶³⁾, ubi verba etiam cum illo Monumento consentiunt, porro quae de coloniis ex Italia deductis ⁶⁴⁾, de statu Augusti positus ab eodemque conflatis ⁶⁵⁾, de Agrippae filiis ad consulatum promotis Noster memoravit ⁶⁶⁾.

Ex Augusti amicis plures adiisse videtur. Noninat *M. Valerium Messalam Corvinum*, qui sub Augusto est adeptus consulatum, posteaque ad praefecturam urbis proventus. De familiis Romanis condidit librum, ex quo Plinius ⁶⁷⁾ quaedam depromsit. Num Commentarios historicos, in quibus de ultimis Bruti et Cassii factis eum narrasse ex testimoniis Plutarchi ⁶⁸⁾ et Taciti ⁶⁹⁾ patet, ad tempora Augusti deduxerit, incertum est, quum nihil de hac re veteres scriptores tradiderunt. — Ad quem ejusdem librum referenda sint, quae Noster tradidit, in medio est relinquendum. *Messalam* enim tradidisse refert ⁷⁰⁾, libertum, excepto *Mena*, nunquam esse adhibitum ab Augusto coenae; quo patet, in illo libro, cujus titulum et quid in eo comprehenderit, Suetonius non indicavit, familiarem Augusti vitam attigisse. — Fortasse Suetonius ex *Messalae* quodam libro desumsit, quae c. 58. narrat. Salutatum esse, ait, Augustum a *Messala* patrem patriae. Verba, quibus ille Augustum adloquutus est et quae Augustus ei respondit, ipsa refert.

Ad *Julium Marathum*, qui a Suetonio libertus Augusti nominatur, bis provocat ⁷¹⁾. Scripsit de Augusti rebus aliquos commentarios, quos Suetonius *memoriam* appellare videtur. Quid *Marathus* in illo libro comprehenderit, num privatam tantum vitam Augusti, an ejusdem quoque res

60) Suet. Aug. c. 21. — 61) Ibid. c. 27. — 62) Ibid. c. 41. — 63) Ibid. c. 43. — 64) Ibid. c. 46. — 65) Ibid. c. 52. — 66) Ibid. c. 64. — 67) Plin. Hist. Nat. XXXV. c. 2. — 68) Plutarch. Brut. c. 40. 42. 45. — 69) Tacit. Annal. IV. 34. — 70) Suet. Aug. c. 74. — 71) Suet. Aug. c. 79. 94. In primo loco cit. legitur: quam (statuam) — in memoriam ejus quinque pedum et dodrantis tradit. Placet conjectura Casauboni: in memoria ejus, ut sit: in libro de ejus vita scripto.

gestas, certe non potest definiri ex traditis ab Suetonio, qui solus ejusdem mentionem fecit. Non multum vero ei tribuisse videtur, eum enim in levibus rebus testem adhibet.

Ad accuratiorem illius temporis cognitionem, ut jam supra vidimus, inserviebant imprimis *Ciceronis scripta*, quae quoque in Augusti vita non neglexisse Suetonius videtur, quamquam semel tantum eum citat ⁷²⁾.

Cornelium Nepotem semel nominat ⁷³⁾. Erat Ciceronis amicus et sub principatu Augusti mortem obiit. Testimonio Corn. Nepotis Augustum vini parcissimum fuisse et id quidem in bello Mutinensi tradit Suet. Conscripsit opera quaedam historica, ut libros exemplorum, nec minus vitas excellentium imperatorum, tam graecorum quam romanorum, quae temporibus Plutarchi et Gellii, qui crebro ex iis referunt, integra exstabant. Ex historico quodam opere profluxisse videntur, quae Noster meminit. Nam alioquin Suetonius non dixerit: Corn. Nepos *tradit*. Incertum autem, ad quem ejusdem libri narratio Suetonii sit referenda.

Verum non modo eos, qui a partibus Augusti stabant, sed quoque adversarios et eos, qui nullius partibus erant addicti, certo consultavit. Saepissime *Antonii*, Augusti adversarii, *scripta* commemorat. Nominatum bis attulit Noster ejusdem *epistolas* ⁷⁴⁾, in quibus falsa in Augustum probra et multa cum acerbitate eum dixisse Cordus Cremutius apud Tacitum refert ⁷⁵⁾. Quocum Suetonius consentire videtur, in epistolis ab Antonio saepe Augustum appellatum esse Thurinum per contumeliam dicens. Nec tamen eas inspicere et adhibere dubitavit. Ex quibus epistolis profecta esse credo, quae Antonius de humili ortu paterno maternoque ⁷⁶⁾, de fuga ex proelio apud Mutinam ⁷⁷⁾, de timiditate ⁷⁸⁾, de desponsata Julia ⁷⁹⁾, de adulteriis ⁸⁰⁾ objecit Augusto. — Antonium in *edictis* maledicta in Octavianum congestisse dicit Cicero ⁸¹⁾. Ex quibus fortasse hausta, quae Noster de impudicitia Augusti ⁸²⁾ narrat.

72) Suet. Aug. c. 3. — 73) Ibid. c. 77. — 74) Suet. Aug. c. 7 et 70. —
75) Tac. Annal. IV. 34. — 76) Suet. Aug. c. 2 et 4. — 77) Ibid. c. 10. —
78) Ibid. c. 16. — 79) Ibid. c. 63. — 80) Ibid. c. 69. — 81) Cic. Phil.
III. 6. et XIII. 9. — 82) Suet. Aug. c. 68.

A partibus adversariorum stetit *Cassium Parmensem* ex epistola, qua Augusto exprobrat genus servile, facile patet ⁸³). Fuit unus ex percussoribus Caesaris et serius ad Antonium transiit ⁸⁴). Epistolam quandam ad Antonium laudat Plinius ⁸⁵). Historicum quid ab eo conscriptum non laudatur. Cf. quae Ruhken. ad Vellej. Paterc. II. 88. annotavit.

Num *Sext. Pompejum*, Pompeji M. filium, et *Lucium* ⁸⁶) (de cujus nomine certum quid non habemus) qui Augusti pudicitiam prostratam castigant, ex scriptis eorum ipsis citaverit, an ex alio scriptore, in medio est relinquendum.

A. Cordum Cremutium, aequalem Augusti et Tiberii, silentio non praeteriit. Condidit ille annales ⁸⁷), in quibus, ut Dio refert ⁸⁸), de Augusti quoque rebus gestis sine ira et studio exposuit. Accusatus est sub Tiberio, auctore Sejano, quod in illis annalibus Brutum Cassiumque laudasset ultimos Romanorum, et quum caedem effugere non posse intelligeret, vitam abstinentia finivit. Ejusdem libros cremandos censuerunt Patres. Marcia autem, ejus filia, eos occultavit, rursusque in lucem protraxit, quum Caligula lectitari permisisset ⁸⁹). Omnes veteres scriptores historiam ejus laudibus ita extollunt, ut ad praestantissima hujus generis opera pertinuisse non dubitare possis ⁹⁰). Et non dubito, quin apud Nostrum quoque multum valuerit, quamquam semel tantum ad eum provocat ⁹¹).

Commemoratur *Aquilius Niger* quidam ⁹²), de cujus scriptis nil constat. Ex uno Suetonio eum novimus, qui quiddam tradit, quod pertinet ad bellum Mutinense.

Junium Saturninum nominat Suetonius ⁹³). Quando vixerit, incertum est. Burmannus tradit, Harduinum in nummo ex Hadriani tempore dedisse Julium Saturninum. Num illi tempori accensendus, ut sit Suetonio aequalis, an ad prius aevum referendus, quis haec, omnibus aliis indiciiis

83) Suet. Aug. c. 4. — 84) Appian. Bell. Civ. V. 139. — 85) Plin. Hist. Nat. XXXI. 2. Sect. 8. — 86) Suet. Aug. c. 68. — 87) Tac. Annal. IV. 34. — 88) Dio Cass. LVII. 24. — 89) Senec. Consol. ad Marciam. c. 2. Suet. Calig. c. 16. — 90) Testimonia v. apud Voss. hist. lat. I. c. 22. — 91) Suet. Aug. c. 35. — 92) Ibid. c. 11. — 93) Ibid. c. 27.

destitutus, disjucet? Opus historicum condidisse videtur. In quo tempora triumviratus Augusti, Antonii et Lepidi eum narrasse, ex iis apparet, quae Noster excerpfit.

Senatus acta non praetermississe, ipse testis est ⁹⁴), ubi de loco, quo natus sit Augustus, refert.

Ad *edicta Augusti* bis provocat, eorumque verba affert ⁹⁵).

Prodigia quaedam profert ex *Asclepiadis Mendetis* et *C. Drusi* scriptis ⁹⁶). Ille in libris *Θεολογούμενων* somnium Attiae retulit. Quam rem, quamquam brevius neque fontem nominans narrat Dio Cassius ⁹⁷). — C. Drusus filius Tiberii esse videtur, qui Augustum mortuum pro rostris veteribus laudavit ⁹⁸).

Praeter hosce scriptores, quorum nomina ipse Noster refert, *alios* quoque saepius citat nomine non addito ⁹⁹). Quorum nomina librosque eruere, esset operam perdere, quum pleraque scripta iniquitate temporum perierunt. Vix ex colore, quo apud Suetonium res narratae sunt, elicere possumus, utrum ad amicos Augusti pertinerent, an starent ab adversariorum parte.

Ex scriptoribus, qui tempora et res gestas Augusti narranda sibi elegerint praeter Dionem Cassium habemus *Vellejum Paterculum*, ad quem tamen Suetonius nunquam provocat. Vellejum in historia Augusti ex ejusdem commentariis tantum hausisse valde probabile est. Nam fere semper mitigat saeve atrociterque facta ab Augusto, ut ejus commentarios, in quibus culpam a se amovere certo studebat, ante oculos habuisse facile credas. Jam operae pretium videtur, Nostrum cum Vellejo comparare, quo videamus, num Suetonius eum ante oculos nec ne habuerit.

Suet. Aug. c. 10. dicit Augustum percussores Antonio subornasse, in qua narratione Antonium sequi videtur. Vellej. II. 60. autem vestigiis Augustum persecutus, eum quotidianis Antonii insidiis petatum esse narrat.

94) Suet. Aug. c. 5. — 95) Ibid. c. 28 et 31. — 96) Ibid. c. 94. — 97) Dio Cass. XLV. 1. — 98) Suet. Aug. c. 100. — 99) Ibid. c. 2. 3. 15. 16. 23. 69. 71. 73. 88.

De tempore, quo Augustus consulatum invadisse traditur, diversa referunt. Vellej. II. 61. id fecisse Augustum 19. annum ingressum tradit. Quod autem anno vicesimo factum refert Sueton. Aug. c. 26., quocum consentit Augustus in Monumento Ancyrano.

Vellej. II. 66. rejicit omnem culpam saevae proscriptionis in Augusti collegas. Aliter narrat Suetonius Aug. c. 27. qui quidem Augustum restitisse collegis non negat, illum tamen nulli pepercisse addidit. Cum Vellejo quamvis non omnino consentit Dio III. 54.

Sueton. Aug. c. 15. de saevitia Augusti in Perusinos exposuit, quocum consentit Dio I. c. Vellej. II. 74. ex more hanc rem mitigans, magis ira militum, quam voluntate ducis saevitum in eos tradit. Fere eodem modo narrat Appianus Bell. Civ. V. c. 48. ubi jam Schweighaenser ¹⁰⁰⁾ conjecit, Augustum, ex cujus commentariis Appianus hauserit, culpam saevitiae a se amoliturum videri.

De Livia uterque diversa tradit. Vellej. II. 79. cui assentit Dio 48, 43. illam a marito ei desponsatam fuisse; Suet. Aug. c. 62, cui accedit Tac. in Annal. I. 10. et V. 1., Neroni abductam ab Augusto uxorem narrat.

Haec fere sunt quae diverse tradita ab utroque deprehendi. Quae tamen ita comparata sunt, ut Suetonium ante oculos habuisse Velleji historiam non suadeant. Nam quae Noster cum Vellejo communia habet, ex eodem fonte desumpta esse possunt. Interdum quoque Suetonius copiosius accuratiusque res refert (ut Aug. c. 16., quae conferas cum Vellej. II. 79. et Suet. c. 52 fin. cum Vell. II. 89.) ut alios scriptores adierit, necesse sit. Quare nullo modo possum adduci, ut existimem, Vellejum a Nostro esse consultatum, nedum primarium fontem, ut Söld V. D. contendit ¹⁰¹⁾, Suetonio fuisse.

100) ad Appian. T. III. p. 868.

101) Götting. gel. Anzeig. 1825. p. 1346.

TIBERIUS.

Quos fontes in Tiberii vita conscribenda adierit, non plane nos ignorare voluit Suetonius. Nec tamen omnia tradita fontibus possunt reddi, nisi vanis conjecturis locum dare volumus.

Quantum ponderis apud Suetonium *epistolae et alia scripta Augusti* haberent, ex iis, quae tradidit, patet. Multa quae ad accuratorem principis ejusdemque familiae cognitionem pertinebant, in iis certo invenit. Semel quidem ad eas provocat ¹⁰²), sed pro certo affirmari posse credo, Suetonium multa ex scriptis Augusti hausisse, quae ad Tiberii adolescentiam atque aetatem virilem non parvi erant momenti.

Nec minus consultavit *Tiberii ipsius scripta*. *Commentarium Tiberii de sua vita* quamquam summam breviterque compositum ad manus habuit ¹⁰³), ex quo verba ipsa refert, ut dubitari nequeat, quin multa ex eodem depromserit. Illum tunc temporis exstitisse exinde apparet, quod Domitianum nihil praeter illum commentarium et acta Tiberii lectitasse tradit Suetonius. Sed ratio modusque, quo illius commentarii mentionem fecit, Suetonium temere fidem illi adhibuisse non suadet. — Commemorat quoque *Tiberii sermonem* ¹⁰⁴) quem exstare dicit, sed *alias quoque ejusdem orationes* inspexisse, probabile reddunt verba, quae ex iis protulit ¹⁰⁵).

Ad *fastos actaque publica* Suetonius provocat ¹⁰⁶), referens de anno et loco, quo Tiberius natus sit. Continebant acta publica res rationesque populi, judicia publica, supplicia, comitia, aedificia, nativitates, illustres mortes aliaque ¹⁰⁷). Et quum adulationi nullus locus in iis esset, pluries ea certe consultavit.

Senecam semel laudatum invenies, ubi de morte Tiberii quiddam refert ¹⁰⁸). Ex quo libro haec sint desumpta, in incerto est, quum Sue-

102) Suet. Tib. c. 21. — 103) Ibid. c. 61. — 104) Ibid. c. 28. — 105) Ibid. c. 29. 65. 67. — 106) Ibid. c. 5. — 107) cf. J. Lipsii excurs. A. ad Tac. Annal. lib. V. — 108) Suet. Tib. c. 73.

tonius omisso libri titulo nihil de hac re definiendum nobis reliquit. Lactantius tradit ¹⁰⁹⁾, Senecam distinxisse imperium Romanum per aetates, ex quibus J. Lipsius ¹¹⁰⁾ historiam aut compendium rerum Romanarum Senecam scripsisse colligit. Narratio autem, quae Suetonius refert, ita comparata est, ut ex alio quam historico opere, quod vero nobis non servatum est, desumpta esse possit.

Alios plures autem oculos habuisse, ipse testis est Suetonius ¹¹¹⁾, quos tamen non juxta aestimavit. Nominat enim aliquos certiores, aliis non magnam fidem adhibere videtur.

Ad manum habuit *viri consularis* cujusdam *annales* ¹¹²⁾. Quis ille fuerit, in medio relinquimus, quum hujus narrationis alius scriptor non meminerit.

Fieri potuit, ut, quae Suetonius de bellis cum Germanis a Tiberio gestis tradidit, ex Plinii hauserit libris, qui viginti voluminibus omnia bella, quae unquam Romani cum Germanis gesserunt, comprehendisse fertur ¹¹³⁾. Conjicere licet, Plinium in tali operis mole copiosius res narrasse nihilque omisisse, quae et ad bellum ipsum alicujus momenti essent, et ad ducum res gestas ac privatam eorum vitam. cf. quae infra annotavimus.

Non sprevit, ut videtur, rumores vulgares ¹¹⁴⁾, sed caute in iis admittendis versatum fuisse ex ratione modoque, quo omnia perpendit, conjicere licet.

Neque in Tiberii vita Vellejum ut testem narrationum adhibuisse videtur. Dissentit Vellej. II. 94. a Suetonio, referens Tiberium regnum tradidisse Artavasdi; Sueton. autem c. 9. et alii, ut Tacitus, Dio, Josephus, Tiberium restituisse Tigranem diserte dicunt. Vossius ad Vellej. I. c. scriptores ita inter se conciliare studet, ut Vellejum omisisse credat Tigranem, cujus successor Artavasdes fuerit.

109) Lactant. institut. divin. VII. c. 15. — 110) in vita Senecae c. 10. —
111) Suet. Tib. c. 5. 21. 73. — 112) Ibid. c. 61. — 113) Suet. vita Plinii
et Plin. Epist. III. 5. — 114) Suet. Tib. c. 21. 22. et pass.

Causam secessus Tiberii aliter narrat Vellej. II. 99. quocum Dio Cass. 55, 9. consentit, qui uterque ex Tiberii commentariis hausisse videtur. Nam Tiberius, ut Suet. (c. 10.) ait, hanc reddidit causam.

De conventu, quem Tiberius cum privigno in insula Samo habuit, plane dissentit Vellej. II. 101. ab Suet. Tib. c. 12.

De itinere et colloquio cum Augusto amplius tradidit Suet. Tib. c. 21. et Aug. 98., quam Vellej. II. 123, ut non ex Vellejo fluxisse, quae Suetonius adfert, videri possit.

Vellej. II. 124. Tiberium revera recusasse imperium dicit, Suet. c. 24 et 25. (cui accedit Tac. Annal. I. c. 11. 12 et 7. cf. Dio Cass. 57, 2. 3.) recusare principatum simulasse tradit.

Magna fides autem exoritur narrationibus Suetonii exinde, quod crebro cum Tacito consentit, et tantum in rebus levioris momenti ab eo discedit. Diverse itaque ab utroque relata hic subjiciam, quo unicuique sit potestas de hac re recte judicandi.

Suet. Tib. c. 21. (cf. Aug. c. 98 fin.) Tiberium tradit spirantem adhuc Augustum reperisse. Tac. Annal. I. 5. non satis compertum esse dicit, num Tiberius spirantem adhuc Augustum, an exanimem repererit. Dio 56, 31. incertum esse tradit, addidit tamen, a pluribus et fide dignioribus esse scriptum, T. eum exanimem reperisse.

Suet. Tib. c. 22. Tribunum Tiberio renunciasse de caede Agrippae perpetrata narrat. Tac. Annal. I. 6. autem Centurionem nominat. In re ipsa uterque plane consentit.

Suet. Tib. c. 25. ubi de seditione militum exposuit, flagitasse milites, ait, ut aequarentur stipendio praetorianis. Tac. Ann. I. 17. singulis denarios postulasse, quum praetoriani binos acciperent.

Suet. Tib. c. 52. ubi de Pisone refert, cui caedes Germanici ab Tiberio erat mandata, quae tamen, quum secreto essent data, non prodere poterat. Aliter rem narrat Tac. Ann. III. 16.

Suet. Tib. c. 58. et Tac. Annal. I. 74. eandem causam tradidisse existimant. Sermo est de homine quodam, qui statuae Augusti caput demserat. Suetonius eum damnatum esse dicit, Tacitus absolutum.

Suet. Tib. c. 61. et Tac. Ann. VI. 29. paullo aliter narrant de poeta quodam, qui Tiberium exprobraverit.

CALIGULA.

In vita hujus principis conscribenda *multos* ¹¹⁵⁾ adhibuisse refert, praecipue ubi diversas narrationes de aliqua causa commemorat. Quod autem maxime est dolendum, scriptorum nomina non semper addidit. Unus ex iis, qui nomine citantur, est *Cn. Lentulus Gaetulius* ¹¹⁶⁾, celebris historiis et carminibus ¹¹⁷⁾. • Oecisus est ab Caligula, detecta conjuratione ¹¹⁸⁾. Sed Suetonius, ut conjiciendum est, ei magnam fidem non adhibuit. Quae enim ille refert de loco, ubi genitus sit Caligula, in dubium vocat Suetonius refellitque testimonio Plinii et actorum publicorum.

Praeterea in eadem causa nominat *Plinium Secundum* ¹¹⁹⁾. Eiusdem narrationi de ortu Caligulae plus tribuisse videtur. Et quum Plinium tradidisse, ait, Caligulam in Treveris genitum esse, non plane vanae conjecturae me indulgere existimo, si ex Plinii libris de bellis Germanicis, de quibus jam supra diximus, profuisse credo.

De eadem re exstare *epistolam Augusti* tradit ¹²⁰⁾. — Inspexisse quoque *acta publica*, colligimus ex eodem capite, sed plura ex iis fluxisse videntur, quamquam ad fontes suos certo non reduci possunt.

Jam hac in vita, ut Suetonius ipse dicit ¹²¹⁾, nonnulla ex traditis seniorum virorum hausit. Se puerum, ait, audivisse avum suum narrationem, quae causa fuerit pontis, quem Caligula sinui Bajano superstruxerit.

Ad *funam vulgarem* quoque provocat ¹²²⁾.

Veritas narrationis Suetonii augetur, quod cum Tacite fere semper

115) Suet. Tib. c. 4. 12. 17. 19. 20. 21. 23. 25. 57. — 116) Suet. Cal. c. 8. —

117) cf. Voss. de hist. lat. I. c. 25. et imprimis Lips. ad Tac. Ann. IV. 44. —

118) Dio Cass. 59, 22. — 119) Suet. Cal. c. 8. — 120) Ibid. c. 8. —

121) Ibid. c. 19. — 122) Ibid. c. 58.

consentit, neque a vero abhorrere videtur, si Suetonium eosdem quos Tacitus fontes adisse credimus.

Suet. Calig. c. 1. tradit Germanicum Armeniae regem devicisse. Tac. autem Annal. II. 56. nihil de devicto rege Armeniae tradidit, id tantum narrans, Germanicum Armeniis Zenonem, in quem favor nationis inclinaverit, regem instituisse. Ex Tac. I. c. scimus, Armenios Vononem regem amovisse. Num iis Germanicus in amovendo illo opem praestiterit, ut utrumque scriptorem inter se conciliare studet Müller. Obs. in Suet. p. 14, in incerto relinquo.

Suet. Cal. c. 3.: libera ac foederata oppida sine lictoribus adibat. Tac. II. 53. Athenis uno lictore eum usum fuisse dicit.

Tac. Annal. I. 41. Caligulam in castris genitum tradit, Suetonius autem c. 8. ex actis publicis Antii eum editum contendit.

CLAUDIUS.

Scripta Claudii ipsius, ad quae crebro provocat, ut fontem primarium sibi elegisse videtur Suetonius. Composuit Claudius de sua vita volumina octo ¹²³⁾, sed iudicium, quod addidit, magis inepte quam ineleganter conscriptam esse, satis ostendit, illos libros non multum ponderis habuisse apud Suetonium. — Iudicium Claudii de paedagogo suo ex quodam Claudii libro profert ¹²⁴⁾. Commemorat quoque Suetonius historiam ¹²⁵⁾, cujus initium fecerit Claudius a civili pace, ex quo libro profluxisse videntur, quae Sueton. c. 21. narrat. — Oratiunculas Claudii quasdam laudat ¹²⁶⁾.

Commemorat quoque *Augusti epistolas* ¹²⁷⁾, ex quibus capita quaedam refert. Quae autem ad Claudii adolescentiam spectant.

123) Suet. Claud. c. 41. — 124) Ibid. c. 2. — 125) Ibid. c. 41. — 126) Suet. Claud. c. 38. — 127) Ibid. c. 3. —

Publicis monumentis certe usus est, ex quibus profuxisse videri possunt, quae de Claudii operibus, spectaculis aliisque institutis Sueton. c. 20—25 refert.

Ex majoribus natu multa quoque auditu accepisse Suetonius ipse testatur ¹²⁸). Verbum quoque sententiae additum, evincit, Suetonium plura fando audiisse atque tradidisse.

Aliorum scripta inspicere non supersedit ¹²⁹), sed semper artem criticam adhibens. Nam eorum opiniones aut falsas plane refellit, aut non magni facit ¹³⁰). Nonnulla tantum retulit, ne quid praetermisisse videatur.

N E R O.

Difficilior jam est disquisitio, quos fontes in vita hujus principis conscribenda consequutus sit Suetonius. Ne unum quidem scriptorem nominatim laudat, quamquam Söld V. D. ex Neronis ipsius commentariis nonnulla profuxisse credit. Suetonius quidem pugillares libellosque Neronis commemorat ¹³¹), quibus autem confisus si hoc probare velit Vir Doct. accedere ei non possum. Nam quae Suetonius hic refert, spectant non ad libros de vita ejus, sed tantum ad Neronis carmina. Haec in suas manus venisse, Suetonius testatur; quod annotavit, ut opinionem quorundam, qui Neronem aliena pro suis edidisse putabant, vanam esse ostenderet.

Semel quidem docet, ex aliis comperisse quaedam ¹³²). Sed alia quoque accepisse, credibile est, quamquam ea non indicavit. Cf. quae c. 7. 32. 36 fin. et 47. tradidit.

Adiisse tamen et *alios* non reticet ¹³³). Inter quos nonnullos nominat non incertos auctores i. e. quibus fides habenda ¹³⁴). Eadem quae Sueton. c. 34. tradidit, narrat Tac. Ann. XIV. c. 9. init., ambigens tamen,

128) Suet. Claud. c. 15. — 129) Ibid. c. 1. 9. 27. 44. — 130) Ibid. c. 1. —

131) Suet. Ner. c. 52. — 132) Ibid. c. 29. — 133) Ibid. c. 34. 47. 52.

53. — 134) Ibid. c. 34. —

num tale facinus impetraverit Nero. — Qui autem illi fuerint, quorum, quamquam non nominatim, mentionem fecit Suetonius, quis est qui discernere possit? Discimus quidem ex Plinio ¹³⁵⁾, se Neronis gesta conscripsisse, ad quae Tacitus provocat, sed quum nobis praeter pauca fragmenta nihil de illis libris supersit, tradita ab Suetonio non possumus comparare neque certis argumentis probare, num Suetonius eum adhibuerit.

Vitae imperatorum, quas nunc exponere sibi proposuit Suetonius, minus copiose narratae sunt, quum aut non longum imperium adepti, materiam fusius narrandi non praeberent, aut ab illis temporibus propius abessent, ubi multi viverent, qui illorum rebus gestis adfuissent. Pauci tantum scriptores imperatorum res gestas literis mandaverant, quare narrationes majorum natu atque monumenta publica erant Suetonio adeunda. Non autem vulgares rumores temere arripuisse, ratio, qua in enarrandis vitis alias versatus est, satis suadet. Neque consulto verum mutavit, quum multi superstites essent, qui ejusdem tradita ut falsa facile ostendere poterant.

G A L B A.

De fontibus, quos hic adiit, refert fere nihil. Commemorat quidem *nonnullos*, sed incertum est, utrum ex auditu hauserit (ut fortasse de praesagio, quod Augustus de Galba puero edidit (c. 4.), de ultimis Galbae verbis (c. 20.), de Galbae edacitate atque impudicitia (c. 22.) an scripta praeceuntia habuerit.

Ex publicis actis videntur fluxisse, quae de numero equitum narrat (c. 15.), qui bona a Nerone pluribus donata repeterent. — Diversitas numeri est inter Tac. Ann. I. 20 et Sueton. I. c.

Tacit. Ann. VI. 20. praesagium de Galba tribuit Tiberio, Sueton. c. 4. autem Augusto et Tiberio. cf. Interpr. ad I. c.

135) Plin. Hist. Nat. lib. II. c. 83 et 103.

Tac. Hist. II. 55. alios honores Galbae a populo tributos narrat, quam Sueton. in fin. vit. Galbae.

O T H O.

Quos sibi duces elegerit Suetonius, non potest bene extorqueri, quum nos paene ignotos hujus rei esse voluit. Patrem suum semel nominat (c. 10.). In multis narrationibus famam vulgarem sequutus esse videtur.

V I T E L L I U S.

De origine familiae Vitellianae provocat (c. 1 et 2.) ad *Q. Eulogii* cujusdam libellum et ad *Cassium Severum*, qui orator erat celebris. Non autem cogitandum de historia, quam condidisse fertur, sed ut jam Voss. de hist. lat. I. c. 21. monuit, ex libellis procacibus petatum videtur, quibus viros feminasque illustres diffamasse refert Tac. Ann. I. c. 72.

Plurima tradita ex rumoribus vulgaribus (ut fortasse c. 5. ubi tradit de surreptis templorum donis et ornamentis, c. 6. de caede Petroniani filii, c. 7. de egestate Vitelli in provinciam exituri) atque ex narrationibus viro- rum majorum natu desumsit (ut de gulositate Vitellii c. 13., de matris caede c. 14.).

V E S P A S I A N U S.

Ne vestigium quidem fontis scripti in hujus principis vita exstat. Fere omnia auditu accepisse videtur.

T I T U S.

Fere idem valet de hujus viri vita. Ad monumenta publica provocat Suetonius c. 4., quibus comprobet, Titum et in Germania et in Britannia tribunum militum meruisse summae industriae et modestiae fama.

Fando quoque alia accepit, ut ipse ait c. 3, ubi de Titi velocitate scribendi et arte imitandi aliorum chirographa quiddam narrat.

DOMITIANUS.

Hermogenem Tarsensem (de quo v. Voss. de hist. graec. II. c. 10.) commemorat, quem ab Domitiano propter figuras in historia sua in eum dictas occisum narrat. Incertum est, num Suetonius eum ut fontem in rebus quibusdam elegerit, quum ne unum quidem fragmentum operis reperias et Suetonius ad eum non amplius provocat.

Multa certe hausit ex aliorum narrationibus, nonnulla quoque ipse vidit (c. 12.).

Quibus expositis eo pervenimus, ut nostrum de Suetonio iudicium feramus. Si accuratius vitas illas inspexeris, facile concedes, Suetonium omnes partes historici boni et probi recte gessisse, et, quod adinet ad fidem historicam, inter scriptores historicos non ultimum locum obtinere. Quam diligenter enim in colligendis conferendisque narrationibus versatus fuerit, ex nostra disquisitione antea instituta patet. Multa addidisse, ipse refert, ne quid praetermitteret. Qui tam accurate narrationes tradit, eum diligentiam in colligendo aliorum tradita adhibuisse non negare possumus. Neque in illis colligendis unice acquievit, sed vera et falsa explorare in animo habuit. Et quam dextre in rerum veritate exploranda et in diversis traditis examinandis se gesserit, suadet, omissis aliis, disquisitio, quam de loco, in quo sit natus Claudius, instituit. Nec minus veritatem voluisse narrare Suetonium, exinde patet, quod neque mala neque bona silet. Sicut enim illorum virorum virtutes, ita quoque eorum vitia aequae exposita esse vides. Neque in tempora incidit, quae veritati tradendae obstabant, sed adeptus est, ut Tacitus ait, illam *temporum felicitatem ubi sentire quae velles et quae sentires dicere licebat*. Vulgares rumores ex suo opere non excludit, id vero tantum admisit, quod omnibus accurate perpensis aut verum aut verisimile et moribus uniuscuiusque conveniens sibi videretur. Quare eum credulitatis non possumus jure arguere. Neque assentire queo

Morgesternio V. Cl. *), qui *Suetonium aut rei atrocitatem narrandi genere auxisse, ait, aut vanos rumores pro certis exploratisque rebus arripuisse, quia vel nimis credulus esset, vel fortasse, quo apertius Caesarum pravissimorum flagitia denudaret, eo certius mitiorum principum, quibuscum vivere ipsi contigit, Trajani atque Hadriani gloriam se illustraturum speraret.* Cujus consilii ne vestigium quidem in Suetonii opereprehendes. Quod si voluisset, cur quae bona illis imperatoribus erant sive natura insita sive alio modo comparata non plane reticuit, aut si id non poterat, cur eorum virtutes non saltem depressit, sed tam libere atque ingenue palam fecit? Cur, quaeso, tot tantisque laudibus celebravit virtutes Titi, ne dicam de aliis, qui tamen a temporibus Trajani Hadrianique non multum aberat. Sed omnia sine ira et studio dicta sunt. Nulla suspicio gratiae aut simultatis. Quae omnia facile suadent, Suetonium procul habuisse consilium, denudando augendoque aliorum principum flagitia, gloriam Trajani et Hadriani illustrandi.

*) De fide historica Velleji Patereuli — commentatio crit. scripta a Carol. Morgenstern. 4. Gedani 1798. p. 34.

~~DEC 17 1972~~

]

Ls 43.288
De fontibus atque auctoritate vitar
Widener Library 002691560



3 2044 085 233 138

